

103. *In memoratis casibus debet causa in sententia exprimi duntaxat propter certos effectus.* — His adde, quod etiam in memoratis casibus, per se loquendo, non requiratur expressio causæ in sententia; adeoque valet sententia, si hæc nemine opponente sine expressione causæ lata fuerit. Siquidem in his ipsis casibus debet causa in sententia exprimi duntaxat propter certos effectus, qui ex tali sententia oriri possunt: puta, ut excommunicatus a sua contumacia respiscere possit: vel ne actori pereat jus de novo agendi, aut hujusmodi: prout facile colligitur ex dictis, atque amplius decorat Abbas loc. cit. n. 12.

104. *Idem potest contingere in nonnullis aliis casibus.* — Idem contingere potest in nonnullis aliis casibus, ac proinde debet exprimi causa in eorum sententiis ob certos effectus. Sic enim damnatus ex una causa efficitur infamis, non item ex alia: prout tutor remotus a tutela ob dolum commissum, redditur infamis: non litem, si removeatur ob negligentiam tantum, l. III. et IV. ff. de *Suspectis tutorib.* Unde ad irrogandum effectum infamiae exprimi debet, quod ob commissum dolum amotus fuerit: alioquin enim, si in sententia istud non exprimitur, ea in meliorem partem interpretari debet; sicque non intelligitur ex causa famosa damnatus, seu remotus, l. *Hæc enim causæ.* ff. eod.

§ IV.

DE RE JUDICATA, VELUTI PRÆCIPUO EFFECTU
SENTENTIÆ DIFFINITIVÆ.

105. *Res judicata potest dupliciter accipi, large et proprie; et quid sit?* — Quæritur I. Quid sit tempore res judicata, et quo sententia dicatur transire in rem judicatam? Resp. I. « Res judicata » potest dupliciter accipi: primo largo modo, si pro ipsamet sententia, quæ imponit finem controversiæ per absolutionem, vel condemnationem. Sic res judicata accipitur in l. *Litigatoribus.* C. de *Appellation.* ibi: « Litigatoribus copia est, illico appellare voce, cum res poposcerit judicata: » id est, cum lata est sententia rite; prout explicat Glossa *ŷ. Judicata*, et Bartolus, ibid. ac notat Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. de *Sententia.* n. 128.

106. *Secundo, et proprie « Res judicata » dicitur sententia, quæ post lapsum decem die-*

rum accepit auctoritatem, ac vires rei judicatæ; adeo ut pro veritate accipiatur, et postea retractari non possit, atque contradicere volens amplius non audiatur. Et de re judicata, taliter sumpta procedit reg. 207. ff. de *Reg. jur.* « Res judicata pro veritate accipitur. » Quod ipsum habetur in l. *Ingenium* ff. de *Statu liberis.* Unde sententia illa quæ in rem transit iudicatam, tantæ est auctoritatis, ut de ente faciat non ens, et de falso verum, et de albo nigrum, secundum Jasonem, l. *Julianus verum debitorem.* n. 2. ff. de *Condition. indebit.* et Marantam, loc. cit. n. 129. Atque in hac posteriori acceptione nunc sermo est de re judicata.

107. *Præcipuus sententiæ diffinitivæ effectus est, ut regulariter post decendium, si ab ea non appellatur, transeat in rem judicatam.* — Resp. II. Præcipuus sententiæ diffinitivæ effectus est, quod regulariter loquendo, si ab ipsa infra decem dies per condemnatum non fuerit appellatum, ejusmodi sententia transeat in rem judicatam; adeo, ut postea retractari non possit, et contradicere volens amplius non audiatur. Ita communis: atque habetur clare decisum in Auth. de *Appellation.* et *intra quæ tempora,* etc. can. *Anteriorum.* 2. q. 6. ubi revocato biduo, vel triduo, antiquitus ad appellandum duntaxat concessio, « sancitur, omnes appellationes posse intra decem dierum spatium, a recitatione sententiæ numerandorum, iudicibus a iis, quorum interest, offerri. » Concordat c. *Cum inter.* 13. et c. *Quod ad consultationem.* 15. h. t. in quo posteriori loco pontifex sic loquitur: « Cum post decem dierum spatium, sententia in auctoritatem rei transeat judicata: qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit: cum per hoc videntur per interpretationem juris latæ sententiæ paruisse. » Hæc ibi.

108. *Et cur? Victus non appellans, vere non consentit in sententiam, sed fecte: neque victor, sciens sententiam injustam, potest rem sibi adjudicatam tuta conscientia retinere.* — Atque istud tum propter juris, et iudicis auctoritatem, ob quam præsumuntur omnia rite celebrata, ex quo non fuit appellatum a sententia, c. *Sicut nobis.* 46. § fin. h. t.; tum propter partis non appellantis tacitum consensum, sui que, si quod habuit, juris renuntiationem, l. ult. c. de *Sententia, quæ sine certa quantitate,* etc. et l. *Ab eo.* C. *Quomodo et quando,* etc. Quanquam victus non appel-

§ IV. DE

lans, vere non consentiat, sententiæ, sed fecte duntaxat: ac proinde ex sententia condemnatoria injusta, seu quam victor novit esse iniquam, non oriatur obligatio naturalis; neque victor ille tuta conscientia possit retinere rem sibi adjudicatam, prætextu consensus per non appellantem sententiæ præfili. Quia (ut dictum) iste non consentit vere in sententiam, sed fecte, ac ex præsumptione seu interpretatione juris: alioquin enim sæpe quis omittit appellationem, execrans litem, et timens vexationem iudiciorum. Abbas, c. *Quod ad consultationem.* n. 7. h. t.

109. *Sententia transiens in rem judicatam, habet pro se præsumptionem juris et de jure.* — Cæterum loquendo pro foro externo, sententia, quæ transivit in rem judicatam, in posterum habet pro se præsumptionem juris et de jure, quod sit justa, parsque condemnata in eam consenserit, cit. l. *Res judicata.* ff. de *Reg. jur.* et d. c. *Quod ad consultationem* 5. h. t. atque notat Abbas, cap. ult. n. 32. de *Præscription.* et communis. Ita quidem, ut postea admittatur probatio in contrarium, etiam prætextu instrumentorum de novo repletorum; ut c. *Suborta.* 21. § fin., h. t., ubi Abbas, n. 10. et 13. et idem Abbas, c. *Consanguineus.* n. 12. eod. concordat textus in l. *Sub specie.* de *Re judicat.* ibi: « Sub specie novorum instrumentorum postea repletorum res judicatas restaurari, exemplo grave est. »

110. *Tempus decem dierum concessum ad appellandum, quando incipiat currere?* — Quod si petas, quando incipiat currere tempus decem dierum, concessum ad appellandum contra sententiam? Respondetur, juxta cit. Auth. de *Appellation.* et can. *Anteriorum.* 2. q. 6. decendium istud esse computandum « a recitatione sententiæ: » uti liquet ex verbis n. 107. allegatis.

111. *Decendium istud currit de momento in momentum ab hora latæ sententiæ. Tempus omne currit de momento in momentum, ubi aliud a jure non exprimitur.* — Unde decendium hoc incipit ab hora latæ sententiæ, curritque de momento in momentum, Joan. Andreas, c. *Super eo.* 12. n. 10. et Abbas, ibid. n. 12. de *Appellation.* qui pro regula ponunt, quod omne tempus currat de momento in momentum, ubi aliud a jure non exprimitur Engel, tit. de *Appellation.* n. 39. Ita tamen, ut adhuc decimo die (ante completum ultimum ejus momentum) possit appellari, arg. can. *Propter superfluum.* 2. q. 6. ac notat Glossa

cit. can. *Anteriorum.* *ŷ. Dierum.* Et si sententia fuit lata in absentem, qui nec per procuratorem defensus fuit (puta, quando absens damnatus non propter contumaciam veram) tunc decendium illud currere incipit primum a die scientiæ de lata sententia: ut dicitur l. I. § fin. et § *Dies autem* ff. *Quando appellandum sit:* ubi summarium inquit tempus appellationis interponendæ esse utile quoad initium, continuum quoad processum. Glossa in Auth. *Hodie autem.* *ŷ. Assententivæ.* c. de *Appellation.* Secus, si absens agebat per procuratorem: quia, si ejus procurator non appellavit, elapso decendio non auditur: nisi forsitan procurator non sit solvendo cit. l. I. § fin. ff. *Quando appellandum sit,* juncta Glossa fin. et marg. ibid.

112. *Sententia non solum diffinitiva, verum et interlocutoria, post decendium transit in rem judicatam.* — Adde tamen præmissis, quod non sententia diffinitiva, verum etiam sententia interlocutoria transeat in rem judicatam, si ab ea inter decendium non appelletur ut dicitur c. *Cum dilectus.* 32. § fin. de *Election.* et notat Abbas, cap. II. n. 14, et 15. *De in integrum restitut.*

113. *Transit etiam sententia in rem judicatam, quando appellatio fuit deserta.* — Resp. III. Insuper sententia transit in rem judicatam, quando inter decendium ab ea quidem appellatum est, postea tamen appellatio fuit deserta. Textus est in Auth. *Ei qui appellat.* C. de *Temporib. appellation.* ubi sic habetur: « Ei qui appellat impertitur annus, intra quem secundum se communiterve cum adversario litem exequatur: aut si justa causa intercesserit, alius annus indulgeatur: quo transacto, lite non completa, rata manet sententia: » ac si non fuisset appellatum, prout subjungit Glossa ibid. *ŷ. Manet sententia.* Ad dicitur tamen num 107. « regulariter loquendo, » propter illico dicenda. Unde

114. *Dantur plures casus, in quibus sententia post decendium non transit in rem judicatam.* — Quæritur II. An dentur nonnulli casus, in quibus sententia post decendium non transit in rem judicatam; et qui? Resp. I. Dari plures hujusmodi casus; adeo, ut eorum viginti quatuor enumeret Maranta, part. VI. *Speculi Aurei.* tit. de *Sententia.* etc. n. 128. et seqq. quorum præcipui sunt sequentes.

115. *Sic sententia lata contra jus constitutionis, non transit in rem judicatam.* — Primo quidem, ac generatim loquendo, sententia, quæ fuit lata contra jus constitutionis ipso

jure est nulla, non transit in rem judicatam, licet ab ea non appelletur: sed probato juris errore, potest retractari non solum post decendium, sed etiam post decennium, et quidem usque ad triginta annos; non tamen ultra nisi ubi vertitur periculum animæ. Ita Maranta, cit. part. VI. tit. de Sententia. n. 154. post Cardinalem Clem. I. qua est, 14 de Sentent. et re judicat. Speculator, tit. de Sententia § justa. in fin. et Gailus, lib. I. Practic. Observat. 127. n. 8. allegans communem, et in camera receptam sententiam.

116. *Idque probatur. Quod nullum producit effectum. Non entis, nulla sunt qualitates. Paria sunt, non esse: et esse nullam.* — Prima hæc fallentia desumitur tum ex cap. i. h. t. juncta Glossa ibid. § Contra leges: tum ex l. Si cum inter te. C. Quando provocare non est necesse: ubi sententia contra leges, canoneseve prolata, nullas habere vires dicitur; adeo, ut nec provocationis auxilium necessarium sit. » Nam, quod nullum est, nullum producit effectum, arg. l. Si se non obtulit. 4. § Condemnatum. ff. de Re judicat. et c. illud. 8. de Jurepatronat. Et non entis, nullæ sunt qualitates, c. Ad dissolvendum. 13. de Desponsat. impuber. juncta Glossa §. Legitime accusari. Et paria sunt, non esse; nullum, l. Duo sunt Titii. ff. de Testamentar. tutel. cum similibus. Concordat textus expressus in l. Si expressim. ff. de Appellation. ibi: » Si expressim sententia contra juris rigorem data fuerit, valere non debet: et ideo et sine appellatione causa denuo induci potest. » Hæc ibi.

117. *Sententia a non suo iudice lata, vel pretio empta, aut lata ex probationibus a jure reprobatis, etc., non transit in rem judicatam.* — Infertur proinde, quod sententia a non suo iudice lata, non transeat in rem judicatam: quia est ipso jure nulla, c. At si Clerici. 4. de Judiciis, et alibi. Glossa cit. cap. i. §. Contra leges. h. t. Deinde sententia pretio empta, sive lata a corrupto iudice, nunquam transit in rem judicatam: quinimo est ipso jure nulla, etiam citra interpositæ provocationis auxilium, l. Venales. C. Quando provocare non est necesse, Abbas, c. Cum ab omni. n. 7. de Vita et honestat. Cleric. et alii. Idemque dicendum, quando sententia est lata ex probationibus a jure reprobatis; ut puta, per duellum, vel ob experientiam ferri candentis, cap. i. et seqq. de Purgation. vulgar. Maranta cit. tit. de Sententia. n. 139. post Baldum in l. Libertorum. C. de Testib. Con-

cordant dicta superius §. præced. n. 70. 71. et 72. ubi nonnulla alia exempla referuntur. Et quia pluribus modis potest contingere, ut sententia feratur contra claram juris dispositionem, ut ibidem dictum: hinc patet, plurimos ex hoc capite casus speciales recenseri posse, in quibus sententia non transit in rem judicatam.

118. *Sententia lata in causis matrimonialibus, non transit in rem judicatam, sed revocatur, quodocunque constat de errore.* — Resp. II. Deinde, ac magis loquendo in specie, sententia lata in causis matrimonialibus non transit in rem judicatam: unde revocatur, quodocunque constat de errore. Ita textus in c. Lator. 7. h. t. ubi Glossa in casu, Joan. Andreas, et Abbas in summano, aliique communiter. Hinc, quando legitimum matrimonium judicialiter dissolutum fuit, eo quod v. g. fuisset allegatum impedimentum dirimens, quod postea constat revera non adfuisse, retractatur prior sententia, atque reintegratur matrimonium (utpote jure divino indissolubile) postquam apparet, ecclesiam esse deceptam, c. Fraternalitatis. 6. de Frigidis et maleficiat. Simile quid habetur, c. Tenor 10. h. t.

119. *Sive sit lata contra matrimonium, sive pro ejus valore.* — Idemque dicendum est de sententia lata pro valore matrimonii, quando ex post facto constat, revera illud fuisse invalidum ob occultum impedimentum. Siquidem in utroque casu vertitur periculum animæ, cum matrimonium legitime contractum amplius dissolvi non possit; neque etiam impedimentum dirimens, suo consensu, conjugum putativi tollere valeant: unde cognita veritate, sententia ejusmodi retractari debet.

120. *Intellige, quando ex illius sententiæ observantia nutritur peccatum, utriusque partis consensu non impedibile; alias secus: quod exemplificatur.* — Cæterum dictum istud, quod sententia in causa matrimoniali non transeat in rem judicatam, tunc solummodo procedit, quando ex illius sententiæ observantia nutritur peccatum, quod utriusque partis consensu non potest impediri, nec tolli quoad culpam: uti fit in proxime relatis casibus, ubi sententia lata contra legitimum matrimonium ex allegato falso impedimento, vel pro valore matrimonii non obstante impedimento dirimente, v. g. consanguinitatis, partium consensu convalidari, non potest. Glossa fin. cit. c. Lator. et Abbas,

ibid. n. 9. et Barbosa, n. 3. h. t. allegans plures alios. Secus dicendum, quando sententia fuit lata pro matrimonio, quod nullum erat ex defectu per partes remissibili; puta, ex defectu consensus ob gravem metum incussum, vel ex conditione veritatis ab altera parte antea ignoratæ. Nam si a tali sententia intra decendium non fuerit appellatum, tunc ea transit in rem judicatam: adeo, ut partes de novo consentire debeant, suoque consensu (uti possunt) matrimonium convalidare: ac postea resiliere volens, non amplius sit audiendus, imo compellendus adhærere alteri, cum absque peccato istud possit facere renovato mutuo consensu, ut dictum. Glossa, Abbas, Barbosa, ubi supra; Covarruvias part. II. de Matrimonio, cap. VIII, § 12. n. 38. Sanchez, lib. VII. de Matrimon. disp. 100. n. 13. et alii.

121. *Sententia lata contra valorem sponsalium de futuro, transit in rem judicatam, nisi appelletur ab ea.* — Insuper dictum illud non procedit in sententia lata contra valorem sponsalium de futuro: nam quia hæc mutuo consensu rursus dissolvi possunt, cap. i. de Reg. jur. sicque sententia illa sine peccato observari potest; merito censetur transire in rem judicatam, nisi intra decem dies ab ea fuerit appellatum.

122. *An idem dicendum de sententia lata, pro valore sponsalium?* — Utrum vero sententia lata pro valore sponsalium de futuro, similiter transeat in rem judicatam, si ab ea non fuerit appellatum, est distinguendum. Vel enim sententia illa potest observari sine peccato: et transit in rem judicatam. Vel non potest observari sine peccato; puta, quia sponsalia ob non probatum v. g. latens impedimentum consanguinitatis, pronuntiabantur valida: et talis sententia est nutritiva peccati, quod partium consensu tolli non potest, sicque nequit transire in rem judicatam, sed quocunque tempore probetur latens illud impedimentum, erit retractanda. Alioquin, quippe impedimento dirimente detenti compellerentur matrimonium inire, et quidem invalidum, non sine gravissimo peccato portali, ac dispendio salutis æternæ.

123. *Sententia non transit in rem judicatam in causa beneficiati.* — Tertio, sententia non transit in rem judicatam in causa beneficiati; argumento a simili desumpto ex matrimonio carnali ad spirituale, juxta cap. II. de Translat. episcop. ac notat Abbas, c. Cum dilectus. n. 5. de Election.; Maranta, loc. cit. n. 130.

istud intelligens, quoad præjudicium superioris, c. Cum Bertoldus, 18. h. t. Secus, quoad præjudicium ipsarum partium: ut est Glossa in cap. i. de Concession. præbend. et Abbas, ibid. n. 4.

124. *Intellige quoad præjudicium Ecclesiæ et favorem beneficiati: secus quoad partem, seu contradictorem; idque declaratur.* — Nec obscurat, quod in cit. c. Cum dilectus. 32. § fin. de Election. loquendo de causa beneficiati, dicitur: « Cujus (metropolitani) sententia in rem transit judicatam, cum intra decendium non fuerit legitima provocatione suspensa. » Resp. enim cum abbate cit. c. Cum dilectus. n. 5, et Gonzalez Tellez, ibid. n. 32. de Election. istud intelligendum esse respectu contradictoris; non autem in præjudicium Ecclesiæ, atque favorem beneficiati. Unde sciendum est, quod sententia in causa beneficiati bene transeat in rem judicatam, quoad partem, sive contradictorem illum, qui impugnare ausus fuit alterius electionem, seu collationem beneficii alteri factam: ideo, ut si succumbat, seu sententia appellat postmodum amplius non audiatur; quia non appellando censetur acquiescere sententiæ, eo præsertim, quod hanc sine peccato admittere, atque ab ulteriori impugnatione abstinere valeat. Non tamen idcirco ejusmodi sententia transit in rem judicatam quoad præjudicium Ecclesiæ, atque in favorem beneficiati: sed potest adhuc post decendium defectus, si quis irrepserat, iudici renuntiari. Imo et iudex ad impediendum alterius peccatum, et damnum Ecclesiæ imminens ob promotionem indigni, poterit ex officio inquire de titulo legitimo; puta, de validitate electionis, seu canonicæ institutionis dicti beneficiati: Ne alioquin in præjudicium Ecclesiæ promoveatur minus canonicè institutus; et talis, qui sine peccato beneficium obtinere, et retinere non potest: hujusmodi enim defectus ex consensu partium supplere non potest.

125. *Nulla sententia transit in rem judicatam, cujus observantia nutrit peccatum de consensu partium non remissibile.* — Quarto, nulla sententia transit in rem judicatam, cujus observantia nutrit peccatum de consensu partium non impedibile, arg. cap. ult. de Consuetud. et cap. ult. de Præscription. cum concordantiis; et tradit Glossa fin. c. Inter monasterium. h. t. docens, quod « ubi vertitur periculum animæ, tenet sententia contra primam. » Innocentius, ibid. in fin. Hostien-

sis, et Joan. Andreas, in c. *Lator*. n. 5. et Abbas, n. 9. h. t. Pirhing, eod. n. 49; Maranta, ubi supra, n. 147. et alii. Unde idem Abbas, in c. *Juravit*. n. 5. de *Probation*. ponit regulam, quod ubi vitium sententiæ per partes est remissibile, sententia illa transeat in rem judicatam: alias secus.

126. *In causis criminalibus, an, et in quo sensu sententia non transeat in rem judicatam?* — Quinto notat Ludovic. Engel, h. t. n. 24. etiam in causis criminalibus sententiam non transire in rem judicatam, sed quocumque posse rei innocentiam demonstrari; ut *Unius*. 18. § penult. ff. de *Questionib*. ibi: « Quamvis defensionem quocumque tempore postulante reo negari non oportet. » Verum hæc sententia, nisi melius explicetur, non caret difficultate: tum quia Glossa ibid. vers. *Quocumque tempore*, asserit, istud intelligendum esse de quocumque tempore « ante sententiam: » adeo, ut juxta Bartolum, ibid. etiam post publicationem attestationum possint ad defensionem rei recipi alii testes; tum quia videtur repugnare textus l. I. ff. de *Questionib*. ubi præses provinciæ eum, quem damnavit, restituere non potest (hoc enim fieri posset, si sententiam non transiret in rem judicatam) sed cognita rei innocentia principi rescribendum esse dicitur, cujus indulgentia Reus innocens repertus restituatur. Unde in isto duntaxat sensu procedit relata Ludovici Engel sententia; videlicet in causis criminalibus sententiam non transire in rem judicatam, quatenus semper potest innocentia rei probari, ut principis indulgentia restituatur: non autem, quin transeat in rem judicatam quoad inferiores iudices.

127. *Consensus expressus nihil operatur, ut innocens possit occidi; bene tamen tacitus.* — Accedit ratio, quia, licet loquendo de causis criminalibus consensus expressus nihil operetur, ut innocens possit occidi, vel mutilari (neque enim homo est dominus vitæ, ac membrorum suorum) nihilominus tacitus ejus consensus, seu potius illa patientia, qua non appellavit, nec aliquid in sui defensionem allegavit, jure sic disponente, potest ei nocere: adeo, ut sententia transeat in rem judicatam, donec cognita rei innocentia per principem relaxetur. Siquidem licite potest quis mortem, vel mutilationem etiam injustam pati, nec tenetur se defendere, exemplo multorum millium sanctorum martyrum; etsi expresse in eam consentire, aut renuntiare defensionem suam non possit. Pirhing, h. t. n.

50. Simulque novum non est, ut quis cuiquam tacite renuntiare possit, non autem expresse: prout juramentum calumniæ potest remitti tacite, non autem expresse, cap. I. § *Propter omissum de Jurament. calumn.* in 6.

128. *Sententia, quam victor fatetur iniquam, debet retractari, neque censetur transivisse in rem judicatam.* — Sexto, quando victor fatetur, sententiam pro se latam esse iniquam, tunc ea debet retractari. Abbas, c. *Cum inter*. n. 8. h. t. post Innocentium c. *Quia plerique. de Immunitat. eccles.* Neque talis sententia transit, nec transivisse censetur in rem judicatam; adeo, ut nunquam possit, aut debeat executioni mandari. Jason, in *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 45. et 46. ff. de *Jurejurand.*; Maranta cit. part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Sententia*. n. 138. allegans alios. Nec immerito: quia, licet sententia transiens in rem judicatam, habeat pro se præsumptionem juris et de jure, nihilominus contra hanc ipsam admittitur propria confessio partis; ut dictum supra tit. XXIII. de *Præsumptionibus*. § 2. n. 54. et 55.

129. *Neque transit in rem judicatam sententia, quando per evidentiam facti constat de ejus iniquitate.* — Similiter sententia nunquam transit in rem judicatam, ubicunque per evidentiam facti, v. g. per inspectionem ocularem, constat de ejus iniquitate: unde hæc semper retractari potest, etiam sine appellatione arg. l. *Confessionibus*. ff. de *Interrogat. actionib*. Innocentius c. *Fraternitas*. § *Nota sententiam. de Frigidis et maleficiat*. Abbas, c. *Significantibus*. n. 5. de *Purgation. vulgar.* hujus rationem dans; quia non debet Judex sustinere, ut quis notorie detineat rem alterius cum peccato. Mascardus, de *Probation*. quæst. 8. præm. n. 16. allegans alios.

130. *Idem dicendum de sententia lata ex errore, vel causa falsa, aut non concludente, quando hæc in sententia fuit expressa.* — *Septimo*, quando iudex ex errore, vel causa falsa processit, illamque causam expressit in sententia, hujusmodi sententia non transit in rem judicatam, sed detecta veritate semper potest retractari, arg. l. I. ff. *Quæ sententiæ sine appellat. rescind.* ubi propter errorem calculi in sententia expressum, appellare necesse non est; Maranta, loc. cit. n. 118. et 141. citans alios; atque istud probans ex c. *Inter cæteras*. 9. h. t. ubi dicitur, quod sententiæ non debet stari, si iniquitatem contineat manifestam, » prout fit in proposito Engel, h. t. n. 25. Idque ampliatur ad sen-

nar. Sigism. Scaccia, lib. I. de *Judiciis*, cap. cxvii. n. 131. et tract. de *Sententia*, gloss. 14. quæst. 2. n. 40; Maranta, ubi supra, n. 155. allegans alios. Ratio est, quia appellatio solum potest interponi intra decem dies a die lata sententiæ, Auth. *Hodie autem*. c. de *Appellation*. junctis concordantiis supra n. 107. allegatis: unde elapso dicto termino decendii appellare volens, non amplius auditur, cum per lapsum decem dierum tollatur remedium devolutivum. Istud enim indistincte verificatur, sive sententia soleat transire in rem judicatam, sive non; cum quoad hoc lex non distinguat.

136. *Et quomodo istud fiat.* — Remanet proinde, quod sententia illa, quæ non transit in rem judicatam, post lapsum decendii solum possit retractari per viam querelæ. Idque fieri potest adeundo iudicem illum, qui tulit sententiam, eidemque per modum querelæ, ac petitionis de retractanda sententia, utpote in rem judicatam non transeunte, debite proponendo gravamen sibi illatum per sententiam injustam, seu ex errore latam. Judex autem non debet simpliciter admittere querelantem: sed oportet, ut prius summariter saltem sese informet de justitia querelæ, et injustitia sententiæ; ac cognita rei veritate, retractet sententiam. Maranta cit. n. 155; Abbas, c. *Tenor*. n. 6. h. t. asserens, quod sententia, quæ non transit in rem judicatam, tunc demum retractetur, quando æquum videbitur iudici. Scaccia cit. lib. I. de *Judiciis*. n. 131, vers. *Respectu judicis*, allegans alios, atque hoc ipsum amplius declarans conformiter proxime dicendis n. 138.

137. *Notabilis differentia inter appellationem, et inter querelam, in causis non transeuntibus in rem judicatam.* — Unde est notabilis differentia inter appellationem, et inter querelam in causis non transeuntibus in rem judicatam; prout recte notat Sigism. Scaccia cit. lib. I. de *Judiciis*, cap. cxvii. n. 131. assignans duplicem differentiam, unam respectu temporis, alteram respectu judicis. Differunt quidem respectu temporis: quia appellatio solum potest fieri intra decem dies post latam sententiam, ut dictum. Querela vero potest proponi etiam post lapsum decem dierum; potestque dein cognita veritate sententia retractari quocumque intra spatium triginta annorum, si in ea non vertatur periculum animæ; vel subsit periculum animæ, in perpetuum, Maranta, l. c. n. 154. citans Cardinalem in Clem. I. quæst. 14. h. t.; Salicetum

1. Si præses. c. *Quomodo et quando iudex, etc.*; Baldum l. *Data opera*. col. 15. vers. *Sed quid si bannitus*. c. *Qui accusare non poss.* et alios; ac sequitur Scaccia, ubi supra.

138. *Appellatio devolvit causam ad superiorem: querela est cognoscenda ab eodem iudice, qui sententiam tulerat. Hic cognita summariter causa querelandi, potest querelantem restituere in integrum, cumque denuo audire.* — Differunt etiam respectu judicis: quia appellatio devolvit causam ad superiorem, c. *Dilectis*. 55. et c. *Ut debitus*. 59. de *Appellation*. Querela vero potest cognosci ab eodem iudice, qui sententiam, contra quam pars querelatur, tulerat: atque is interposita coram se querela, præmittat summariam ejus cognitionem, an videlicet allegetur aliqua verisimilis et probabilis causa querelandi; hacque cognita, poterit querelantem restituere in integrum, eumque denuo judicialiter audire. Siquidem restitutio adversus sententiam non solum competit ecclesiis, atque minoribus; sed ex legitima causa, puta, quia sententia inferens grave damnum non transit in rem judicatam, conceditur etiam majoribus l. I. ff. *Ex quibus causis majores, etc.* Simulque restitutio hujusmodi non est petenda a principe. Scaccia cit. lib. I. de *Judiciis*, cap. cxvii. n. 131. vers. *Respectu judicis*, allegans Dominicum in c. *Venerabilibus*. § *Porro*. col. 1. de *Sentent. excommunicat.* in 6. et Felinum c. *Lator*. n. 8. h. t. et Concordat Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 114. n. 3. cum aliis; quamvis Abbas, et Maranta, ubi supra, hujus restitutionis faciendæ, non meminerint. Porro concessa restitutione in integrum adversus sententiam non transeuntem in rem judicatam, potest ille ipse iudex, qui eam tulerat, ex fortioribus rationibus talem sententiam retractare, atque reformare: quanquam idcirco non negetur, quin querela nullitatis sententiæ etiam possit opponi coram superiore iudice, si hunc gravatus adire maluerit, conformiter dicendis infra tit. seq. § 1. n. 28. et seqq.

§ V.

DE ALIIS EFFECTIBUS SENTENTIÆ DIFFINITIVÆ;
ET SENTENTIA INTER ALIQUOS LATA NOCEAT,
VEL PROSIT ALIIS

139. *Sententia, que transit in rem judicatam, facit jus inter partes.* — Quæritur I. Quinam sint alii effectus sententiæ diffinitivæ